

346

Lib. II. Cap. XIII.

plures enunciationes connecti, e. g. hæc: *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus*, est conditionalis, quia particula *SI* connectit duas enunciationes, nempe has: *Christus resurrexit, nos resurgemus*. Si verò partic. *SI* consideratur modò posteriori, ut scil. non connectat integras enunciationes, sed tantum voces aliquas, non constituit enunciationem conditionalem, sed simplicem de extremò v.g. prædicatò conditionatò, e.g. hæc: *O, homo salvatur, si credit*, non est conditionalis, quia partic. *SI* non connectit integras enunciationes.

13. Not. Cum partic. conditionalis *SI* connectit enunciationes, interdum in posteriori brevitate gratiâ omittitur subjectum, si scil. antecedens & consequens idem subjectum habent, ut in hæc: *Si homo est animal sentit*, i.e. *homo sentit*.

14. Sicut autem in enunciatione simplici non solum datur subjectum & prædicatum, sed etiam copula, (nempe verbum *EST*) per quam prædicatum & subjectum ad unam enunciationem simplicem constituendam connectuntur: ita in conditionali datur primò antecedens, & consequens, deinde copula, per quam hæc duo connectuntur, ut unam enunciationem, nempe conditionalem, constituent.

15. An-